Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 297

Quelle:
Copyright:

excommunicacionis majoris excerpti a ſumma (Bartholom. de S. Concordio O. P.) *Piſani*, cum mantiſſa ulteriorum Adnotationum. Qui a N. II. hactenus relata, nulla ratione iis, quae ſub artis typographicae primordia ad conſcientiarum directionem vulgata ſunt, inferiora adtentius inſpexerit, fatebitur, oportet, Seculo XV. non inſtitutionem in ſcitu neceſſariis et opportunis ad ſalutem hominibus, ſed homines inſtitutioni defuiſſe.

V. *fol.* 300. Συλλογη *Sermonum* in Evangelia Dominicarum; primum aliquot *de Adventu*, dein *poſt Epiphaniam*, tum *poſt Pentecoſten*, demum absque inſcriptione *de duobus Praeceptis Caritatis*, qui poſtremi ſaltem videri poſſint *Nicolai de Dünkelſpühl*, cum de eadem materia extet ejus *Tractatus I.* in edit. *Argentinenſi* 1516. f.

VI. *fol.* 336. p. 2. *Incipiunt ſermones de ſeptem donis ſpiritus ſancti Collecti per venerabilem magiſtrum dominum Nicolaum de dinkelſpühel Sacre theologie profeſſorem.* Sunt numero VIII. et primus incipit: *Egredietur uirga de radice yeſſe* &c. Iſ. XI. *Ex hac auctoritate et alijs ſacre ſcripture et ſanctorum conſtat* &c. Memorantur *Sermones* hi *mſſ.* T. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 94. In Codice adhaeret *Sermo* de Euchariſtia *ad Honorabiles patres et dominos ceterosque fratres* in illud Luc. 14. *Homo quidam fecit cenam magnam* &c. fors *Mellici* habitus.

CXCVI.

Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 248. f. per duas columnas exaratus, rubricis pernotatus, et olim, ut *foll.* 2. et 196. notatur: *Domus Porte beate Marie virginis in Axpach ordinis Carthuſien. prouincie Auſtrie fundacionis Domini Haydenrici de Meyſſaw nobilis baronis*, continet *Commentaria Haimonis* Sec. IX. *Halberſtadienſ.* Epiſcopi in omnes D. *Pauli Epiſtolas*, et quidem magis integra, quam in Exemplo, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 309. exhibui, et, quod ad ordinem adtinet, conformia Editioni *Pariſ.* 1550. 8. quacum contendi. Initium eſt: *A Chorintho ciuitate Metropoli Achaye regionis ſcripſit apoſtolus paulus Romanis* &c. Finis: *ad contemplationem ſuperne viſionis chriſto duce pertingere mereamur.* Nomen Autoris non niſi recenti manu Codici praeſcriptum eſt. R. 3030

CXCVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 226. f. maj. pereleganter exaratus, et rubricis inſignis, absque ullo Titulo eſt Expoſitio ſive *Gloſſa* dicta *Magiſtralis* a Compilatore *Magiſtro Sententiarum* ſeu *Petro Lombardo* Doctore et Epiſcopo *Pariſino* Sec. XII. in omnes D. *Pauli Epiſtolas* ita ordinata, ut Textus Apoſtoli charactere luculento columnam anguſtam interiorem, Expoſitio ipſa minutius perſcripta latam exterio- U. 10